



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **S. Vincentii Lerinensis Galli, Libellus Verè Avrevs Adversus profanas Hæreseōn novationes**

**Vincentius <Lerinensis>**

**Coloniae, 1652**

Allegatur contra hæreses initium 7. capitis Matthæi. Caput XXXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55177)

*Allegatur contra hereses initium ꝛc  
pitis Matthai.*

## CAPUT XXXVI.

**I**dem denique & Salvator clama-  
bat. Attendite vobis à Pseudopro-  
phetis, qui veniunt ad vos in vestitu  
ovium, ab intus autem sunt lupi ra-  
pices. Quid est vestitus ovium? nisi  
Prophetarum & Apostolorum pro-  
loquia: quæ iidem, ovili quadam  
sinceritate agno illi immaculatos  
qui tollit peccatum mundi, tan-  
quam vellera quædam texuerunt.  
Qui sunt lupi rapaces? nisi senten-  
tias Ecclesiæ semper infestant, & gre-  
gem Christi quâqua possunt, dilaca-  
rant? Sed ut fallaciùs incautis ovi-  
bus obrepant, manente luporum fe-  
rocia, deponunt lupinam speciem, &  
se se divinæ legis sententiis velut qui-  
busdam velleribus obvolvunt: ut  
cùm quisq; lanarum molliem per-  
senserit, nequaquam aculeos denti-  
tium pertimescat. Sed quid ait Sal-  
vator? Ex fructibus eorum cogno-  
scetis

scietis eos. Id est, cum ceperint illas  
voces non jam perferre tantum, sed  
etiam exponere: nec adhuc jaetare  
solum, sed etiam interpretari: tunc  
amaritudo illa, tunc acerbitas, tunc  
rabies intelligitur, tunc novitium  
virus exhalabitur, tunc prophanæ  
novitates aperiuntur, tunc primum  
scindi sepem videas, tunc transferri  
patrum terminos, tunc Catholicam  
fidem cædi, tunc Ecclesiasticum dog-  
ma lacerari.

*Ex 1. Cor. 11. capite, quod Pseudoaposto-  
li sunt operarii subdoli, transfigu-  
rantes se in Angelos lucis. Item,  
quod sint discipuli diaboli tentantis  
Christum.*

## CAPUT XXXVII.

Tales erant ii, quos percutit Apo-  
stolus Paulus in secunda ad Co-  
rinthios dicens: Nam ejusmodi in-  
quit, Pseudoapostoli, sunt operarii  
subdoli transfigurantes se in Aposto-  
los Christi. Quid est transfiguran-  
tes se in Apostolos Christi? Profere-  
bant